

...sephus.

...Alb. Joach. Propositio ex processu illu...simi generis, virtutis et eruditionis D. Jos. Rol... desumpta.

PROPOSITIO

Ex Processu Illustrissimi Generis, Virtutis & Eruditionis

Perillustris & Reverendissimi Domini

D. JOSEPHI

GLAUBICZ de Rokossowo

ROKOSSOWSKI,

Ecclesiarum; Cathedralis Posnaniensis CANONICI, Parochialis in Niepart PRÆPOSITI. &c:

DESUMPTA.

Et cùm à

Perillustri & Reverendissimo Domino

D. M. JACOBO MARCISZOWSKI,

Utriusq; Juris DOCTORE & PROFESSORE, COLLEGA Juridico, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ SS.OO. PRIMICERIO, Parochialis in Koniusza CURATO, Ordinandorum & Approbandorum Synodali EXAMINATORE, Judiciorum Illustrissimi Consistorii Crac: ASSESSORE, Coloniæ Academicæ Tarnoviensis & Contubernii Jurisperitorum PROVISORE, Facultatis Juridicæ DECANO.

Præsente frequentissima Magnorum Hospitum Corona.

In Lectorio CC. DD. Jurisperitorum

Utriusq; Juris DOCTOR,

Ritu Solemni renuntiaretur,

PER

M. ADALBERTUM JOACHIMUM

FOLTANSKI,

Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Zielopolscianum CANONICUM, ibidemq; Ordinarium Festorum SALVATORIS & B. V. MARIÆ Concionatorem.

Ad Acta immortalis memoriæ

PORRECTA.

Annô Domini 1762. Die 23. Mensis Decembris.

In Stemma Gentilitium
Pervetustæ ROKOSSOWSCIORUM DOMUS.



I.

Non crudum dicas, non crudum credito PISCEM,
Quem bene condivit docta Minerva sale.
Nunc Astræa satis maturè excoxit, & inde
PISCIS hic ad gustum totius Orbis erit.

II.

A Capite (est vulgi sententia) CARPIO tantùm
Laudatur. totus dignus at ISTE coli.

PROPOSITIO
Ex Processu Illustrissimi Generis, Virtutis & Eruditionis
DESUMPTA.

Gratìs (me judice) in Quæstionem vocatur
quod Juris liquidi est.
Nonne videretur Solem digitô monstrare,
qui omnium oculis subjectam rem
oculatis niteretur Testibûs comprobare.
Necesse est quosvis ibi silere Causidicos,
ubi non modò (ut fert paræmia) vulgo dicitur,
sed & os selectioris populi loquitur.
Nonnisi sua dilatant *philacteria,*
qui popularem, ut *Chamaleontes,* captant auram.
Quia omnium sententiâ Princeps metallorum aurum,
ideo etiam percussum silet.
Tinniunt vel äere distenta, vel ære fusa vasa,
quia eorum omnis ab extra æstimatio,
Quantumvis taceret *ebria Helicone toto,* Homeri penna,
Pellæi Juvenis heroica gesta,
hæc, non modò tota, quem capere non potuit Macedonia,
sed ipse, qua latè patet, deprædicaret Orbis.
Etiamsi subtraherent à laudibus Theodosii *Pacati* manum,
bonitatis naturam in Trajano non scrutarentur *Plinii,*
in Gratiano gratias ad calculum non reducerent *Ausonii,*
vel exinde competenti bonis animi gauderent jure,
quia de, & super eorum virtutibus,
nulla usq; hodie Juris instituitur Propositio.

Ut Illustrissimi Tui Nominis,
sic Virtutis & Eruditionis Tuæ
Perillustris & Reverendissime NEO-DOCTOR
eô ipsô in dubium vocari non possunt documenta,
quia hæc non modò in Orbis Europæi annalibus,
unusquisq; legere potest,
sed etiam in Te non sinè admirationis nota videre.
Et ideo;
In prima Doctoralis Utroq; in Jure Honoris Instantia
si Domus Tuæ pervetustæ vellem producere Monumenta,
etiam vicina Regna ad Jus vocare deberem.
Pleni sunt Illustrissimo ANTECESSORUM Tuorum Nomine
Imperiales *in Germaniæ Regno* Fasti.
Tuæ Consanguinitatis Arborem,
amplam & proceram quis non diceret?
ad cujus radicem
per *Silesiam, Bohemiam* cognatæ Lechiadis Gentes,
tanquam Stipites serpunt.
Non postrema Libertatis & Regni hujus facta portio
Tuus Gentilitius, DOMUS pervetustæ *Glaubicz,*
Enimverò;
Non tot ad excidium Urbis Trojanæ
ex illo commendato Vatum elogiis æneo Equo
prodiere Heròés,
quot de Illustrissima GLAUBICIORUM Domo
in Toga & Sago percelebres Viri,
Orthodoxæ Fidei Assertores,
pro Lege & Rege dexterrimi Equites,
per JACOBUM *Glaubicz* de Rokossowo ROKOSSOWSKI,
Thesaurarium Regni & Zuparium Cracoviensem
hoc in Regnum sunt introducti.
Per tot Illustrissima Nomina
diffusam hujus Familiæ Lucem
ille nonnisi vellet introspicerere,
qui cum Diogene hominem inter homines investigaret.
Auro Cedroq; notanda sunt gesta factaq;
CAROLI

CAROLI GLAUBICZ de Rokossowo
ROKOSSOWSKI,
PARENTIS TUI.
Cujus quovis in Magistratu atq; Subselio Gesta,
hac etiam tacente penna
non modò majoris Poloniæ loquuntur Acta,
sed & Orbis Europæi non silent Fasti.
Domi mihi peregrinari videretur,
Qui quantæ sit excellentiæ,
Illustrissima GRODZICCIORUM *de Kotulino* DOMUS,
in dubium aut quæstionem vocaret.
Toties ad Regni Comitia LEGATI,
ad Judicia hoc in Regno Tribunalitia DEPUTATI,
THOMÆ GRODZICKI Filia,
Tui verò GENITRIX æstimatissima,
vel exinde *Corneliis* Romanis comparanda,
quòd TE quibusvis Prærogativis parem reliquerit,
Illustrissimi & Excelentissimi,
CASTELLANI Przemycensis, MARSZEWSKI,
ex Materna linea AVI Tui Dignissimi Decora,
neq; attollere, neq; exornare mihi labor est,
quia hæc singula non modò supra Facultatis Oratoriæ vires;
sed & ingenii robur sunt.
Quæ & quanta sit prærogativa,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini
D. CONSTANTINI
De Iłowiec
IŁOWIECKI
Divina Vocatione
ABBATIS LANDENSIS
Sacri Ordinis Cisterciensis
COMMISSARII
per Poloniam & Magnum Ducatum Lithvaniæ
VICARII GENERALIS
Sacræ Regiæ Majestatis
SECRETARII,

B non

non modò Ejus Nomini Honoriq; dicata,
Typis impressa, testantur
& testari non sinent documenta,
sed & insimul *Sacerrimus* CISTERCIENSIUM *Ordo*,
Quem repetitis vicibûs sui elegerat COMMISSARIUM,
nunquam deprædicare cessabit.
Merentur quidem Ejus Gesta,
protensas publicæ commendationis panegyres,
sed quis ea brevi in pagina exarare poterit?
quæ non modò in ore versantur omnium,
sed Fastis & Annalibus sunt inserenda.
Hæc dum Historicis aliisq; Oratoribus
& scribenda & deprædicanda relinquo,
silere nequaquam possum,
Quem Illius Majoricæ loquuntur Cives,
Perillustrem & Reverendissimum Dominum
LAURENTIUM de Wybranovo PORAY
S W I N A R S K I,
Ecclesiarum, Archi-Cathedralis Gnesnensis
PRÆPOSITUM,
Cathedralis Posnaniensis
olim CUSTODEM,
Virum de Ecclesia DEI Meritissimum,
de Literis & Literatis optimè meritum,
LUBRANSCIANÆ in illa Majorica ACADEMIÆ
MECÆNATEM & PROTECTOREM Maximum
TUI AVUNCULUM Dignissimum.
Hic ingeniorum Arbiter
Te ut ad quævis maxima in Ecclesia & Patria natum,
uti toties vivæ vocis prædixit oraculô.
sic Virtutis, Eruditionis & Sapientiæ,
quibusvis Infulis parem habet SUCCESSOREM.
Illustrissimæ WALKNOWSCIORUM
& KO-

& KORYTOWSCIORUM *DOMUI*
quantum ex TUI SORORE
EVA *de Rokoſſowo* ROKOSSOWSKA
ſplendoris decorisq; acceſſerit,
in tot tantarumq; PROSAPIARUM Nominibus
& videre eſt & nunquam ſatis admirari.
Non nigrâ ſæpiâ,
ſed nobiliori notandus lapillô venit,
Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus
PETRUS *GLAUBICZ de Rokoſſowo*,
R O K O S S O W S K I,
Eccleſiarum; Archi-Cathedralis Gneſnenſis,
Cathedralis Poſnanienſis
C A N T O R.
Prælatorum Norma,
omnis perfectionis compendium,
Cujus innumera ad calculum ut reducerentur Decora
ipſos adeſſe *Archymedes* foret neceſſe.
Academicæ Majori in Polonia Muſæ
non ſilebunt ſui deprædicare MECÆNATEM & PATRONUM,
& quousq; ad flumina *Vartæ*
LUBRANSCIANA florebit *PINUS*,
hucusq; ſuas in adoream inclinabit frondes.
Clara ſunt in Toga & Sago
de Eccleſia & Republica promerita,
MATHIÆ *DAPIFERI Vſchovenſis*,
J O A N N I S
Cochortis haſtatæ Exercituum Regni COLONELLI
de Rokoſſowo GLAUBICZ
R O K O S S O W S K I.
Nimis prolixus forem,

aut

aut ordinariæ in dedicandis panegyribus
vellem præſcribere legi,
ſi omni exceptione Majora,
non modò in illa Majorica,
ſed toto Europæo Orbe clariſſima Nomina,
MARSZEWSCIORUM, SRZEMSCIORUM,
KOSCIELECCIORUM, RYDZYNSCIORUM,
PIOTROWSCIORUM, GRABSCIORUM,
MYCIELSCIORUM, KORYTOWSCIORUM
RAYSCIORUM, NARAMOWSCIORUM,
KWILECCIORUM, GRODZICCIORUM,
CIELECCIORUM, CZARLINSCIORUM,
DĘBINSCIORM, PONIKIEWSCIORUM,
BRONIKOWSCIORUM, SKALAWSCIORUM,
RUMIENIEWSCIORUM,
BOGUSLAWSCIORUM, OSSOWSCIORUM,
ZAKRZEWSCIORUM, ROGALINSCIORUM,
MIASKOWSCIORUM, DABROWSCIORUM,
KLECZKOWSCIORUM, WOZNICCIORUM,
KMITARUM &c. &c.
ex Proceſſu Illuſtriſſimi Tui Generis
præſentem deſumpta in paginam,
coram Actis immortalis memoriæ,
vellem copiatim producere.
Sunt Illa potior gloriæ Tuæ pars,
quæ dum per interventionem veniunt,
Tui Illuſtriſſimi Nominis
ampliant Proceſſum,
Etſi cunctis laudibus exordia pandit,

non

non obſcurus Natalium Splendor,
à præclara PRÆDECESSORUM Tuorum Luce
quantum mutuaris luminis,
niſi talpa vel noctua foret,
qui publica Orbis in facie non videret.

Tui Gentilitium *GLAUBICZ*,
hac Septemtrionis in parte
illud cernimus Sidus,
quod Salutares Eccleſiæ & Patriæ præbendo influxus
inter primæ magnitudinis reſplendet Sidera.

Ex Te JOSEPHO
Illuſtriſſimæ eſt *ACCRESCENS* DOMUI
in Quo juncta eruditioni virtus,
indies majora ſumit incrementa.

Sequuntur Te quocunq; iveris publici plauſus,
non modò Magno Nomini ubiq; debiti,
ſed & Tuæ eruditæ virtutis pediſſequi.

Quis ſit in ore Tuo lepos,
quæ lingvæ facundia?
quod dulcis eloquii flumen?
vel ipſa Panegyrica teſtaretur Oratio,
Quam pro Laudibus
DD. Patriarchæ CANTII
coram Infulatis Infulandiſq; Capitibus
in Eccleſia Cathedrali Poſnanienſi
plùs quàm ad TUI Nominis Gloriam,
æquè diſerto, ac facundo ſermone perorâſti.

Retines eundem erga Muſas Academicas candorem
Quem Tibi *Lubranſciana Pallas*,
cum ſcientiarum inſtillavit lacte.

Quivis in Tullii campo Tui paſſus
palmaris erat,
dum quid calcaveras cum Perſeo,
roſa Tibi fuit Hortenſio.

 Sedu-

Sedulam navâsti operam,
ut ea intelligeres singula,
quæ de entis Universitate scripsit *Aristoteles*,
de DEO humano captui reliquit *Thomas*,
in quo rerum humanarum Divinarumq; cognitio,
Clara & evidens videtur elucescere.
Erant jam tunc in Te conversa ora,
de Ecclesia DEI & Patria optimè meritorum,
quovis in Magistratu
majori in Polonia Procerum.
Enimverò;
Quem in Tui æstimationem non pertraheret,
illa in Te morum compositio,
ille animi sine cerussa candor,
illud unicuiq; cor apertissimum.
Eras non modò æstimationi, sed & amori,
Illustrissimo olim & Reverendissimo Domino
D. JOSEPHO
COMITI de Werbno
PAWŁOWSKI,
In Ecclesia Cathedrali ARCHIDIACONO Pszczevensi
OFFICIALI Generali Posnaniensi. &c. &c.
Jam Te veluti Gemmam illam,
cui vix par quando pretium natat
ad Illustrissimi sui CAPITULI
eXposcebant Coronam
qui scapham à scapha
lintrem, à lintre discernere nôrunt.
Plurimum sibi æstimat animi Tui Dotes,
Virorum PONDERATOR Maximus,
PRINCEPS CELSISSIMUS,

Illustrissi-

Illustrissimus Excellentissimus ac Rndissimus D.
THEODORUS
DUX in Klewan & Zukow
CZARTORYSKI,
EPISCOPUS POSNANIENSIS.
Huic placuisse PRINCIPI,
non est postrema pars Tui Honoris.
Et quantumvis ad ostia *Vartæ*
majori gustâsti in parte,
quidquid *Tesquana* & *Tyberis* sapiunt,
attamen adiisti *Urbium Urbem*,
Romanis è Collibus
scaturientes eruditionis Fontes gustaturus.
Redeuntem Te ex *URBE*,
per vicos, & oppida publici comitantur plausus.
Non potest in dubium vocari
de Tua eruditione & virtute Quæstio,
quæ coram primis Orbis Christiani CAPITIBUS
toto bimestri est ventilata.
Quidquid peregrino didicisti sub Sole
hac Generali hujus Regni in Schola
voluisti publicè demonstrare.
Ex Processu Illmi Tui Nominis,
virtutis ac eruditionis
desumpta PROPOSITIO
hodierno, Doctoralis Utriusq; Juris in Termino,
in litis contestationem minimè vocare potest;
quæ, eô ipsô quod clarîs & indubitatîs constet præmissîs,
ad rectam sui nihil requirere videtur consequentiam.
Et ideô;
Jagelonica intra Craci mænia Pallas

non modò Magno Tui applaudit Nomini,
ſed ſimul virtuti & eruditioni Tuæ
Doctorales Utroq; in Jure Prærogativas
ritu ſolemni confert.
Applaudunt Tuo Honori
ut ſuîs Titulîs ornatiſſimi Hoſpites,
ſic & Academici Ordines.
Recipis Utroq; in Jure Doctoribus debita Inſignia,
è venerandis Manibus
Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini
D. M. JACOBI MARCISZOWSKI,
Utriusq; Juris DOCTORIS, & PROFESSORIS,
Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis CANONICI,
Facultatis Juridicæ DECANI, &c.
Viri de Republica Literaria meritiſſimi.
Jam quidem nemine contradicente concluſum eſt
hodierna Doctoralis Utroq; in Jure Honoris Inſtantia,
quanta fuerit Tui virtus & eruditio,
ſed quænam Illuſtriſſimo Tuo Nomini
junctæ eruditæ virtuti debeantur Prærogativæ?
per quævis Honorum Subſellia,
nova indies movebitur Quæſtio,
cùm ex Proceſſu Illuſtriſſimi Tui Nominis
eruditionis & virtutis deſumpta
ad Acta venturæ poſteritatis ſit
PORRECTA PROPOSITIO.



